

Letter 615: 15 June 1536, Strasbourg, Capito to Ambrosius Blaurer

The manuscript of this letter is in St Gallen KB, Ms. 33/41. It is partially transcribed and summarized in Schiess 1:802–3, Ep. 704.

Salutem. Quod ad Bucerum de Christophero scribis, nobis curae erit. Rumor adversus hic circumtulit seditionem de industria contra praefectum ac iudices eum concitasse; nos tuis facile assentimur testimoniis. Queruntur plerique professores a praelectionibus subinde vacare neque esse usum disputationum, quo sine parum proficitur in disciplinis praesertim. Scio, qui istinc egerunt et iam querantur de iactura temporis; charius etiam vivitur apud praeceptores quam pro modo Germanorum; semel ditescere volunt fortassis.

O amorem publici! Si quid ocii ab ecclesiis instituendis et servandis dabitur, in hanc rem animum quoque intendas. Nam impensarum mediocritas, disciplina, vinculum probae societatis, et praelectorum vigilantia et assiduitas non solum achademias, sed etiam plurimas undique respublicas beant; dum interea exhauriantur ab ignavis praeceptoribus facultates, parentibus, pessimis discipuli moribus imbuantur et inscitiam atque odium literarum, cum arrogantia fiduciaque sui coniunctum relinquatur. Valet et Christo nobisque omnibus in isto amore tuo pergas commodare. Argen. 15 Iunii anno 1536.

Wolfg. Capito.